

1238 13/1

Convent of Elbląg (prov. of Polonia)

*Landmeister Hermann von Balk of the Teutonic Order in Prussia and Livonia donates a site in the newly-established town of Elbląg to the Friars Preachers, on which they can build a priory, along with a cabbage garden outside the town, on the condition that the construction of the priory may not block the street leading to the town fortification. In case of a future enlargement of the town, the friars will have to give up the garden in return for another one of a similar size and value.*

Source: Transcript in letter of certification of 1242 17/3 (Transcript by A.T. Brakenhausen (†1777)). City Archives of Elbląg.

In nomine sancte et individue trinitatis amen. Frater Hermannus preceptor domus Teutonicae in Livonia et Prucia universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem perpetuam. Quum ea que in morientium terra fiunt sepe oblivionis accessu cum morientibus moriuntur, dictavit discretionis ratio ut que de se ipsis non habuerint firmamentum literarum adminiculo solidentur. Eapropter presentium testimonio protestamus quod cavere volentes in quantum possumus periculum animarum quod in novellis terrarum plantationibus fit plerumque ubi latitant a vivendi rectitudine fugitivi notitiam devitantes: de capituli nostri plenaria voluntate ordini venerando qui dicitur predicatorum et esse dinoscitur ab effectu, fratrum videlicet domino et hominibus dilectorum potentiumque in opere et sermone, in civitate nostra plantationis novelle Elbinc dicta contulimus aream quandam in qua edificet claustrum suum, ita ut viam prope munitionem caveat impedire, ortum quoque olerum extra eandem quam prelibavimus civitatem libertate integra et eadem qua idem ordo alias consuevit huiusmodi possidere. Et adiicimus quod si civitas sepedita promovente gratia de supernis fuerit amplianda, si ortus idem nobis et civibus in loco in quo nunc est ad hoc visus fuerit documento, alibi concambium de bona recipiat voluntate ubi proximum esse poterit sine prejudicio aliorum, fertilitatis consimilis et etiam quantitatis. Itaque ne nostrorum aliquis successorum tam rationabile et voluntarium factum nostrum presumat ullus valeat infringere vel mutare, presenti page sigillum nostrum pro testimonio sempiterno duximus apponendum. Acta sunt hec anno gratie MCCXXXVIII, idus januarii, inductione ·xi·.

Published: *Codex Diplomaticus Warmiensis* vol. I no. 1; *Urkundenbuch des Deutschen Ordens* vol. II no. 49.

[ExDOP mainpage](#)

[Centre for Dominican Studies of Dacia](#)